

Nulla enim hoc nobis ratio suggerit neque sanctorum patrum auctoritas edocet, set omnes, qui christiana religione censentur, eam tanquam filii matrem, tanquam membra caput reuereri debent attentius et honorare. Si enim carnalis pater aut mater a Deo precipitur honorari¹, quanto magis propter ipsum spiritales^a sunt honorandi. Nunc autem, o ueritatis defensor, quantum scandalum quantumque scisma eadem ecclesia uestris temporibus paciatur, nos, qui propinqui sumus, euidenter agnoscimus et ad uestram credimus noticiam peruenisse. Miramur autem plurimum et multi nobiscum, quod comes palatinus, nuntius uester, auctoribus eiusdem scismatis uires non modicas imperiali potentia ministravit. Unde multi turbato animo hec non decere imperialem rectitudinem colloquuntur. Quod quoniam uos ipsum Octouianum diligere palam est, [non]^b absque uestro consensu usque adhuc fieri a pluribus creditur nec non imperiali constantie satis dicitur derogare ipsumque O(ctouianum) nisi de dilectione et auxilio uestre potentie confidentem talia nullatenus presumpsisse. Quis enim sic minus sapiens credat aliquem etiam omnino dignum posse sibi pontificatum, sicut ipsum fecisse constat, arripere uel etiam tres aut III^{or} cardinales omnibus aliis exceptis pontificem constituere? Ait enim apostolus: nec quisquam sumat sibi honorem, set qui uocatur a Deo tanquam Aaron.² Porro si a pluribus cardinalibus se iactat electum, ubi sunt, qui eum elegerunt? Quod autem tota pene Romana ecclesia exceptis paucis, quorum cor non erat rectum cum Deo³, domnum Alexandrum unanimiter elegerit, et nos, qui propinqui sumus, absque dubio scimus et maior pars occidentalis ecclesie iam nouit et recipit. Omnes enim, qui episcopali officio fungimur, nisi uelimus graue periculum animarum nostrarum incurrere, tum officii, tum fidelitatis debito ei tanquam beati Petri successori, immo Christi uicario cogimur obedire. Ceterum non modica nos admiratio turbat, cur uestra discretio, quę facile moueri non debet aliquorum suggestionibus, ipsum sancte Romane ecclesie factum, quod ita manifestum est, uoluerit in dubium reuocare atque, quod deliberatione non improuida est a pluribus approbatum, superflua denuo ab eisdem examinatione discerni. Quod utique quoniam ualde uidetur extraneum, uestram adire presentiam multos exterruit, presertim cum prefatus comes

^a) spales. ^b) fehlt.

¹) Vgl. *Exod.* 20, 12.

²) *Hebr.* 5, 4.

³) *Ps.* 77, 37.